

§. 4. Subsistit autem specificatio, si bona fide facta, nec quicquam, quod indicandum erat, ne minimum quidem, prætermisum; vel levisima enim fraude deprehensa, sublestæ fidei arguitur. Neque dubium, quin actor, licet specificatione jurata defunctus fuerit, qui tenebatur ad eam, si contrarium docere possit, audiatur, quia juramentum hoc ad instar necessarii esse diximus, per quod causa decisa de novo impugnari potest, ob instrumenta noviter reperta *l. admonendi 31. ff. d. jurejur.*

§. 5. Controverti solet circa inventarium, utrum heres re una subtracta, amittat totum privilegium inventarii? *Bart. in l. 24. ad L. Falcid.* eumque secuti indistinctè affirmant. Sed verior & æquior sententia mihi videtur eorum, qui volunt, ut ad duplum reus condemnetur, quod si restituat, vel hereditati tantam quantitatem, tanquam eâ plenior esset, imputet, inventarii beneficia adhuc dum salva ei esse, quæ sententia fundatur *in text. l. fin. §. licentia. 10. C. d. Jure delib.* Nec obstat *Nov. 1. c. 2.* quæ objicitur ab adversariis: agit enim de eo, qui vel planè non, vel non eo, quo par erat, modo fecit inventarium *Bacchov. ad Treutl. v. 2. d. 12. th. §. lit. F. Consultis. Dn. Brunnem. ad d. L. fin. C. d. jure delib. §. 10. Sibbard. ibid. n. 9.* Idem dicerem, si specificans unam vel alteram rem subtraxisset, vel indicasset quidem, sed suam mentitus esset, ut nempe ad duplum teneretur, quia poena delicto commensuranda *per vulgat.* & qui pro parte mentitur, pro parte quoq; puniendus *Vir Consultis. Dn. Johann. Fried. Koch. Urbis patr. Senator gravissimus in Disput. de Mendac th. 15.*

§. 6. Quod autem vitiosam reddi, dixi ante specificationem, si omnia non sint indicata, illud intelligo, si dolosè fuerint res celatæ, aut suppressæ. Cæterùm si bona fide, ex ignorantia fortè, illud factum, tantum abest, ut vitiosam dixerim specificationem, ut potius omissa adhuc dum
addi